

219

Q. S E R E N I
S A M O N I C I
D E M E D I C I N A
P R A E C E P T A

Saluberrima.



EMBRORVM series certo de-
ducta tenore

Vt stet, & assimilis medicinæ de-
fluat ordo,

Principio celsa de corporis arce
loquamur.

Phœbe salutiferum, quod pangi-
mus, asserere carmen,

Inuentumq; tuum prompto comitaré fauore,

Tuq; potens artis, reduces qui tradere vitas

Nosti, & in cœlum manes reuocare sepultos;

Qui colis Aegeas, qui Pergama, quiq; Epidaurum,

Qui quondam placidi tectas sub pelle draconis,

Tarpeias arces, atque inclyrâ templa petisti,

Depellens tetrôs præsenti numine morbos,

Huc ades, & quicquid cupido mihi sæpe roganti

Firmaſti, cunctum teneris expone papyris.

Capiti medendo.

B Alfama si geminis instillans auribus addas,
Tum poteris alacrem capitis reparare vigore,

Vel quæ septenis censentur gramina nodis,

Vtiliter vectis, vel corno ex arbore sertum,

Pulegiumve potens vna super aure locabis,

Aut illud misto recoquens clementer aceto.

Et iij

Q. SERENI

Cauta nare trahes: seu visco lintea nexo
Induces fronti: seu trita gramina mentæ.
Spongia cum tepidis annexa liquoribus hymbis
Profuit: aut hedera ex oleo colata vetusto.
Profuit & cochleis frontem tractare minutis.
Si nocuit cerebro violentia solis aperto:
Sæpe chelidonia ex acido perducta liquore
Sanauit: profunt & amica papauera somno,
Si prius in lento madefacta terantur oliuo.

Hemicranio medendo.

Portio si capitis morbo tentetur acuto,
Allia diuersam lana contexta per aurem
Inducta profunt, & eodem balsama pacto.
Allia vel ternis piperis terna addita granis,
Trita lines: certam dabit hæc tibi cura salutem.

Porrigini depellendæ.

Est insensibilis morbus, sed noxia forma.
Cum caput immesæ pexû porrigine ningit,
Copia farris vti freudentibus edita saxis.
Hanc poterit maluæ radix decocta leuare.
Aut tu fœniculum, nitrumq; & sulphura viua
Contere, deinde caput permistis ablue cunctis:
Furfuribusve nouis durum miscebis acetum,
Vt varios crines tali des vngvine puros.
Prodest & tarda demptus testudine sanguis,
Et prodest cedro demissus ab arbore succus
Desinet interea glomerari farrea nubes,
Cessabitq; grauis crebræ porriginis hymber.

Capillo tingendo.

Q Vos pudet ætatis longæ, quos sancta fene-
 ctus
 Offendit, cupiunt properos abscondere
 canos,

Et nigrum crinem fuco simulare doloſo,
 His prodeſt acri contrita cupreſſus aceto,
 Vel frons lentisſci, vel triſtia poma ſabuci:
 Lumbrici quoque terreſtres miſcentur oliuo;
 Et iuuenem præſtant rediuino flore capillum.
 Præterea niueum poterit depellere crinem,
 Reſina ex facili cæra viſcoq; coacta.
 Ad rutilam ſpeciem nigros flaueſcere crines,
 Vnguentum cineris prædixit Tullius autor
 Si prægnans artus capiti ſoricis edit,
 Dicuntur foetus nigrantia lumina fingi.

Phtiriali arcendæ.

N Oxia corporibus quædã de corpore noſtro
 Progenit natura: volēs abrumpere ſomnos
 Senſibus, & monitis vigiles incēdere curas.
 Sed quis non paucat Pherecydis fata tragœdi,
 Qui nimio ſudore fluens animalia tetra
 Eduxit, turpi miſerum quæ morte tulerunt.
 Sylla quoque infelix tali languore percuſus
 Corruit, & fœdo ſe vidit ab agmine vinci.
 Sæpius ergo decet mordax haurire ſinapi,
 Vel nitro ac ſale permiſtiſ, acidoq; liquore
 Laxatiſ (vt ſint ſimul allia) tangere corpus,
 Aut lacrymiſ hederæ, aut ſucco perducere cedri.
 Quin etiam furfur in iſto medicatur aceto.
 Vnda maris lendes capiti deducit iniquas,
 Et quicquid cerebri defendit ſylua capilli.

Prurigini, papulis, ac ſcabiei arcendiſ.

E e iij

Illotus sudor, vel copia nobilis escæ
 Sepe graui scabie correptos asperat artus.
 Ergo lutum prodest membris adhibere fricatis,
 Quod facit ex alino siccatus corporis humor,
 Nec pudeat tractare finum, quem bucula fudit.
 Stercoris ex porco cinerem confundito lymphis,
 Sic pauidum corpus dextra parcente foueto.
 Proderit ex oleo puluis, quem congerit alte
 Dulcibus ex latebris patiens formica laborum.
 Conuenit hinc tepido lita tradere corpora soli.
 Feruentes papulas oleo curato liquenti,
 Aut acido Baccho miscebis farra lupini,
 Atque hinc in calido percures membra lauacro,
 Pruritus autem sallos leuat humor aceti,
 Siue maris rabidi sudor, cochleæq; minutæ,
 Quarum contactu perimetur acerba libido.

Phrenesi, & capiti purgando.

Ex vitio cerebri Phrenesis furiosa mouetur,
 Amissasq; refert frendens amentia vires,
 Siue calens febris iactatos exedit artus,
 Siue meri gustus, seu frigoris efficit aura,
 Conueniet calidis pecudum pulmonibus aptè
 Tempora languentis medica redimire corona
 Illotis etiam lanis suffire memento.
 Ceritum sæpe horrendi medicantur odores.
 Atque ideo sanos etiam curarier est par.
 Purgatur cerebrum mansa radice pyrethri,
 Vngitur & succis, dederit quos parua sabucus,
 Expressusq; hederæ mandatur naribus humor.
 Aut mistum rutæ cerebro instillatur acetum
 Non semper præsens dolor est sanabilis: ergo
 Cura magis prodest venturis obuia morbis.

De fluore capillorum, & maculis
 capitis tollendis.

D Effluit expulsiu morbo latitante capillus,
 Si raro labitur, seu uis epota veneni,
 Seu salamandra potens, nullisque obnoxia
 flammis,

Eximium capitis tactu deiecit honorem.
 Nonnunquam variant maculae, paruisq; parumpet
 Orbibus aspersum ducit noua vulnera tempus,
 Viperae pellis cinerem his addito rebus,
 Roboreasve pilas vsino iungito seuo,
 Vel testudineo mala permulceto cruore.

Humoribus, & perfrictionibus
 medendis.

S Aepe ita peruadit vis frigoris, ac tenet artus,
 Vt vix quaesito medicamine pulsa recedat.

Si ranam ex oleo decoxeris, abiice carnem,
 Membra foue: parili sanat ratione rigorem

Vrticæ semen, per ceptaq; frigora vincit
 Et ceruina potest mulcere medulla rigorem.

Decoctum raphani semen cum melle vorabis,

Siue fel vsinum tepefacta dilue lympa.

Proderit hoc potu, seu cassis ostrea testis

Vsta dabit cinerem, qui pro sale sumptus in escis

Decutiet gelidum calefacto vertice virus.

Nonnullus liquidum sumit mulsumque, sinapi

Atque palato agitat retinensq; vomensque.

Allia nonnulli mandunt, oleiue liquore

Perfundunt calido cerebrum, nasiq; latebras.

Quidam lactucae credunt prodesse sapes,

Curandi modus hic & suauis & vtilis idem est.

Elephantiasis propellenda.

Q. SERENI

E Stelephas morbus tristi quoq; nomine dirus,
 Non solum turpans infandis ora papillis,
 Sed cita præcipitans funesto fata veneno.
 Huic erit aduersus cedri de cortice succus,
 Mustelæq; cinis, vel fusus sanguis ab illa.
 Nonnulli dixerè serum prodesse bibendo.
 Mentastri folium potu, apposituq; salubre est.
 Nec frustra bulbos & sulphura iungis aceto,
 Qui cupis horribiles ad pristinas reddere vultus.
 Præterea nitrum debes cum melle iugatum
 Spargere lacte bouis, varias sic ungere frontes.
 Cerussam, & chartam, quam gens Aegyptia mittit,
 Thure simul misceq; oleum, quod flore rosarum
 Conditum est: line sic faciem, sic redde salutem.

Curis & faciei vitiiis propellendis.

I Nuida si maculet faciem lentigo decoram,
 Nec prodesse valent naturæ dona benignæ,
 Erucam atq; acidum laticem simul illine malis.
 Proderit & bulbos mellis dulcedine victus,
 Crudave dulcacido miscebis rapo liquori.
 Sanguine vel leporis morbus delabitur oris.
 Frons salicis cum flore suo contrita medetur.
 Sepiolæ cineres ex ossibus omnia tollunt.
 Cygnæos adipēs, hilari misceto Lyxo,
 Omne malum prope maculoso ex ore fugabis.
 Horrebit si liuor atrox, aut nigra cicatrix,
 Attrito sapone genas purgare memento
 Rugarum sulcos lentilsci mastice tendens.
 Si verò vitium est quod ducit ab impete nomen,
 Hoc matutina poteris cohibere salua,
 Seu folio platani, quod mansum mane vorabis,
 Fœda fluunt curui quæ purgamenta cameli,
 Vrentur, cineremq; dabunt, iungentur aceto
 Mascula thura simul, diuinaque cura valebit.

Aurium vitiis succurrendis.

Cum seuus teneras dolor alte sauciat aures,
 Fraxinea in flammis fundit quem talea succi
 Instilles, siue obscænos ex virgine rores,
 Aut succum ex folio, dederit quem populus alba.
 Sæpe chelidonix rapidum sociatur acetum,
 Adiunctoque nitro procedit cura salubris.
 Mentastriliquor expressus conducere fertur.
 Insectum violis oleum bene consulit auri.
 Annosa rubros si legeris arbore vermes.
 Ex oleo tere, sic tepidos infunde dolenti,
 Si verò obtusa sensus remoretur in aure,
 Lumbricos terræ, seuumq; ex anseris rauco
 Excoque: sic veterem poteris depellere morbum.
 Felque bouis surdis etiam prodesse loquuntur,
 Si iungas olidæ graue quod minxere capellæ.
 Si verò incautas animal penetrauerit aures,
 Proderit admisto pauidi fel muris aceto.
 At si lymphâ nocens peruaferit, anseris aptus
 Immitteretur adeps ceparum non sine succo:
 Qui grauis est oculis, sensum tamen auribus auget.
 Vis & Phœbigenæ diuinam discere curam,
 Sitque vel annosis confecta doloribus auris,
 Allia tum septem numero, septemq; lupinos
 Cretaceam dabis in testam: tum delphica frondis,
 Addatur, misto totum feruescat aceto.
 Doctus eris tepidos illinc immittere rores.

Oculorum dolori mitigando.

Summa boni est alacres homini cōtingere visus
 Quos quasi custodes, defensoresq; pericli
 Prospiciens summa natura locauit in arce:
 Sic tamen vt nullos paterentur desuper ictus,
 Atque supercilio pauidi tegerentur opaco.

Sed dolor immeritum lumen si forte lateffit,
 Lana madens oleo noctu connectitur apte,
 Viuentisve nepæ lumen gestatur amicum.
 Ex folio caulis cineres, contractaque thura
 Et laticem Bacchi fœtæ cum lacte capellæ
 Desuper induces, atque vna nocte probabis.
 Hyblæi mellis succi cum felle caprino
 Subueniunt oculis dira caligine pressis.
 Vertonicæ mansus siccabit lumina succus.
 Si tenebras oculis obducit pigra senectus,
 Expressæ marathro guttæ cum melle liquenti
 Detergere malum poterunt, vel vulturis atrio
 Fella, chelidonix fuerint quis gramina mista,
 Hæc etiam annosis poterunt succurrere morbis.
 Fel quoque de gallo mollitum simplice lymphæ
 Exacuat pueros dempta caligine visus.
 Siue columbarum simus miscetur aceto,
 Seu fel perdicis parili cum pondere mellis.
 Vina Chalidonix simili ratione iugantur,
 Efficiuntque suo præclaros vnguinæ visus.
 Aspera quinetiam mulcent & rupta reducant.
 Si genus est morbi, miserum quod lumen adurit,
 Hic calor infuso mitescit lacte canino
 Anguibus ereptos adipēs ærugine misce,
 Hi poterunt ruptas oculorum iungere partes.
 Si verò horrendum ducent glaucomata peplum,
 Spiritus alterius prodest, qui grana cumini
 Pallentis mandens visus exhalat in ipsos
 Si tumor insolitus typho se tollat inani,
 Turgentes oculos vili circumline cœno.

Dentium vitio, & oris fœtori medendo.

Haud facile est acrem dentis tolerare dolorē,
 Quo magis est æquū medicā pnoscere curā,
 Cum Baccho violas decoxeris, ore teneto;

Manus item prodest succis oleaster acerbis;
 Hinc oscedo fugit, linguæ quoque vulnera cedunt.
 Cum vino piper & nitro tepidum inde dolenti,
 Sæpe chelidoniæ succo vel lacte capellæ
 Sanescunt dentes, aut tauri felle iuuantur.
 Aut acidilatices clauso voluntur in ore.
 Manditur apta rubus gingiuis, & bona labris.
 Lentiscus myrthusq; emendant oris odorem.
 Quod verò assumpsit nomen de dente fricando,
 Ceruino ex cornu cinis est, aut vngula porce.
 Torrida, vel cinis ex ouis, sed non sine vino,
 Muricis aut rosti, vel bulbi extincta fauilla.
 Ambitiosa putas, sunt ista salubria cunctis,
 Exesos autem dentes si forte quereris,
 Vre finum muris, patulis, & hiatibus adde,
 Vel cinerem dentis ceruini extinguere aceto.
 Conuenit, atq; cauis immittere partibus apte.
 Prodest & puluis lumbrici corpore tosto.
 Ora ambusta cibo sanabis lacte canina.
 Sæpe etiam gelida gingiuas collue lymphæ.
 Dentibus vt firmum possis seruare vigorem.
 Si verò infandum proserpit ad intima vulnus,
 Permisceto salem parili cum pondere thuris,
 Hinc tractato locum, miram experiere medellam,
 Aut tu sume pilam quæ caudis hæret ouinis
 Hæc siccata dabit molles, & fracta farinas,
 Huius & attritu tetrum mulcebitur vlcus.

Vux, faucibus, collo, & quæ mol-
 lienda sunt, medendis.

A Egrescunt teneræ fauces, cum frigoris atri
 Vis subiit, vel cum ventis agitabilis aer
 Vertitur, atq; ipsas flat⁹ grauis inficit vndas;
 Vel rabidus clamor fracto cum forte sonore
 Planum radit iter, sic est Hortensius olim

Q. SERENIA 2

Absumptus caulis etenim confectus agendis
 Obrucit, cum vox domino viuente perirer.
 Et nondum extincti moreretur lingua disertis,
 Ergo omni studio quæres inhibere dolorem.
 Simplicibus lymphis confunditur aerium mel,
 Additur excussus niuea similagine furfur,
 Decocta hæc clauso simul exercentur in ore.
 Præterea fauces extrinsecus vngere prodest
 Ursino & tauri seuo cerisque remissis,
 Omnia quæ geminis equabis lancibus antè,
 Disce etiam miram ex humili medicamine curam.
 Actiaco melli iungas agreste papauer
 Decoctumque simul mandes, mansumque vorabis.
 Crinitæ porri radices quinque coquantur,
 Hinc aqua non feruens, voluatur fauce sonora,
 Nec tamen in stomachum descēdat gutta patentem.
 Si verò adflitam languor deiecerit vnam,
 Tunc horas aliquot pronus recubare memento,
 Aut illam puluis tosti releuabit anethi,
 Aut cinis ex cochlea, vel torrida brassica flammis.
 Verum angina sibi mistum sale poscit acetum,
 Quod refert clauso versatum agitare palato.

De rigore ceruicis.

A T si ceruices, duratæque colla rigebunt,
 Mira loquar, geminus mulcebitur vngui
 Hic longum pariter nervos medicina sequitur (poples
 Anseris aut pingui torpentia colla fouebis.
 Illinitur valido multum lens cocta in aceto,
 Aut capræ finus, & bulbi, aut ceruina medulla,
 Hoc etiam immotos flectes medicamine nervos.
 Quos autem vocitant tolles, attingere dextra
 Debebis, qua Gryllus erit pressante preemptus.

Tussi, & choleribus medendis.

N Oxia si penitus cholerum scire venena
 Perspicias, cocta lactucæ fronde leuabis.
 Proderit & caules assumere sæpe madentes.
 Interdum fauces tussi quatiuntur atroci,
 Alliarum sumes decocta, & melle peruncta,
 Semina vel raphani permisto dulcia melle.
 Aut si fraxinea semen de fronde reuellis,
 Interiora vora vetitus contingere dente.
 Ouum melle teres domitum fermentibus vndis,
 Marrubiumve potens, hæc faucibus optima sumes.
 Frænabisque grauem facili medicamine tussim.

Digestioni, & stomacho medendo.

Q Vi stomachum regem totius corporis esse
 Contendunt, vera niti ratione videntur.
 Huius. n. validus firmat tenor oïa membra:
 At contra eiusdem franguntur cuncta dolore.
 Quin etiam (nisi cura iuuat) vitiare cerebrum
 Fertur, & integros illinc auertere sensus.
 Lactucæ semen nigræ quod lignea pila
 Triuerit, admisto ieiunus sumito melle,
 Sed cochlear trinum gustu tibi sufficit vno,
 Aut tritum semen raphani, mulsumque iuuabit:
 Siue duæ partes absinthii, & tertia rutæ
 Decoctis potantur aquis, filiquæq; madentes,
 Semina vel marathri foetæ cum lacte capellæ.
 Pulegium quoque decoctum curabit amice.
 Et potu, & fotu stomacho conducit acetum.
 Seu cochleas vndis calefactas ac propè victas
 Suppositis torre prunis, vinoq; garoq;
 Perfusas cape, sed prodest magis esse marinas.
 At male digestis si crapula scruet escis,
 Ex pipere, & calida florem de rore marino.
 Ebibe, seu salibus piper adde, & tenue cuminum.
 Quæ coctis tingens epulis, & rapta vorabis.

Q. SERENI

Aut cubitum pergens succum cape tristis anethi.
 Ventriculis mergi raptus sal tritus & vltus
 Tosto pane super, piperis quoque puluere multo
 Miscentur, capies diuinum munus in istis.
 Proderit hoc stomacho, victas & concoquet escas,
 Grana peregrini piperis diffindito quinque
 Niliaco melli, quæ mane inserta capeffies.

Felli, vomitui, vel phthisi arcendis.

L Vtea si crescunt, & cunctis noxia fella,
 Allia parua noue, piperis tot permole grana,
 Quæ cyatho diluta gari mandesq; bibesq;
 Hæc iterum septena capis, post denique quina.
 Præterea caules, frondet si paruo sabucus,
 Decoctos sale permisces, ac iungis oliuo.
 Tunc capis, ac tali auxilio fella horrida purgas.
 Profunt & pelagi latices, quos pondere iusto
 Dulcibus associas lymphis, melliq; liquenti.
 Et niueus prodest ex vbere succus asellæ,
 Si tepido vino infundas, ac mella piperq;
 At vomitum radix narcissi pota mouebit.
 Si verò phthisis annoso sedet improba morbo,
 Intritas vino cochleas hausisse iuuabit.
 Proderit & veteris seui pila sumpta suilli.
 Carne asinæ seuoq; capræ medicina salubris.

Mammis sanandis, vel stringendis.

V Bera foecundo multum lactantia succo
 Sæpe sibi noxæ nimium manando fuerunt:
 Fece igitur valida duri reprimuntur aceti.
 Post partum tumidas iniuste assurgere mammas
 Interdum aspicias, harum mala commemoratur
 Murinus finis ex pluuiis sedare liquore.
 Sin autem clausas penitus dolor angit acerbus,
Lumbricis

Lumbricis terræ turgentes vnge corymbos.
 Si castigatas studium est præstare papillas,
 Ex hedera fertis ambas redimire memento
 Protinus, & raptas fumis mandare coronas,
 Anseris aut seuum pariter cum lacte tepenti,
 Aut ouum illinito tulerit quod garrula perdix.
 Præterea pluuiio decocta papauera rore
 Hærescunt multis post dissoluenda diebus.
 Vis & Phœbigenæ cœlestia sumere dona,
 Vbera cum tetris laniata doloribus horrent?
 Nauis ramentum, & quæ nomine passion herba est,
 Et quæ vulgari sermone Insana vocatur,
 Græcos hyoscyamon propria scito dicere lingua,
 Nec non & calami radix, lapathiq; legumen
 Mista dabunt miras (experto crede) medelas.

Reiectioni cibi, aut sanguinis restringendæ.

SI stomachus nondum concoctas expuit escas,
 Et magis atq; magis vitium reuomêdo valetur,
 Alia cædemus, crebrumq; trahemus odorem.
 Sin etiam rutulus confertur pectore sanguis,
 Sorbitium mentem, raphanus vel cocta iuuabit.
 Sæpe lapis teritur (Specularem nomine dicunt.
 Et mistis hauritur aquis, sistitq; cruorem.
 Vritur interdum raptus de subere cortex,
 Et cinis ex calido prodest epota Lyæo,
 Ouorum cinis, aut cochlearum, aut denique melis,
 Aut mansus salicum fructus prodesse putatur,
 Aut platani pilulas acri infundemus aceto,
 Nullus erit sanguis, quem non cibus iste moretur.

Iecoris, & lateris vitiis mēdendis.

SI molles iecoris fibras dolor hauriet acer,
 Protinus est mulla potāda elelispacus herba ē,

Ff

Q. SERENI

Sumitur & semen, quod fraxinus alta profudit.
 Vulturis atque iecur, vel ius perdicis apricæ.
 Præterea simili drachma pix dura piperq;
 Franguntur, sic in mollito puluere iuncta
 Egelidis miscentur aquis, recreantq; bibentem.
 Absinthi quoque decocti potabitur humor,
 Si latus immeritum morbo tentatur acuto,
 Accensum tinges lapidem stridentibus vndis,
 Hinc bibis, aut aceris radicem tundis, & vnâ
 Cum vino capis. hoc præsens medicamen habetur.
 Quid referam multis composita Philonia rebus?
 Quid loquar antidotum varijs? quis ista requirat?
 At nos pauperibus præcepta feramus amica.
 Nec non & iecoris quæretur fibra lupini,
 Iungenturque simul costum, foliumq; piperq;
 Quæ diluta mero dantur potanda Lyæo.
 Est & vis morbi, quod telum commemoratur,
 Cum subito dolor insanus furit incitus ictu,
 Persicon huic potum è nuce traditur interiore,
 Quæ mihi cura satis casu monstrante probata est.

Splenis curando.

Q Vando lien tumido circumligat ilia vinclo,
 Et plenû splenis demôstrant mēbra rigore,
 Mollibus ex hedera tornâtur pocula lignis,
 Hinc trahet assuetos æger quoscunq; liquores,
 Aut viridis coctorum holerum potabitur vnda.
 Proderit exusto fluuiâlis hirudo cruore,
 Siue myrica potens, seu ros cum pane marinus,
 Aut hederæ succus potu apposituq; iuuabit.
 Nec non intactam ferro, quam videris alnum,
 Huic liber eripitur ferro sine, decoquiturq;
 Donec victarum pars tertia subsit aquarum.
 Hinc medico potu pulsus dolor omnis abibit.
 Nonnulli memorant consumi posse lienem,

Eruum si semper ieiuno sumpserit ore.
 Arida ficus item feruente domatur aceto,
 Et trita illinitur, vel splen apponitur hœdi.
 Marrubium in vino potum prodesse loquuntur,
 Præterea piper, ac nepetæ cum flore & anethum,
 Capparis atque apium, buglossaq; iungitur vnâ:
 Horum decoctos latices potare salubre est.
 Pulegium, abrotonum nitida cum mæltice coctum
 Ac thymbræ speciem (quâ commemorât cephaloré)
 Prædixit spleni Deus Idē posse mederi.
 Dulcia, Plautus ait, grandi minus apta lienī.
 Splen tumidus nocet, & risum tamen addit ineptum,
 Vt mihi Sardois videatur proximus herbis,
 Irrita quæ miseris permiscet gaudia fati.
 Dicitur exectus faciles auferre cachinnos,
 Perpetuoq; æuo frontem præstare seueram.

Præcordijs sanandis.

L Anguida si duro turgent præcordia morbo,
 Miscetur mullæ farris sextarius vnus,
 Nec non & lini tunsum, siliquæq; legumen.
 Hæc decocta simul, nondumq; tepentia nectes.
 Aut quæ poma Cydon Cretæis misit ab oris
 Cocta lines, durum vt possis mollire tumorem.
 Ocyma præterea, bulbive linuntur amari.
 Proderit & lymphis corpus mersare marinis.
 Quin etiam catulum lactantem apponere membris
 Conuenit, omne malum transcurrere fertur in illū.
 Cui tamen extincto munus debetur humandi.
 Humanos quoque contactus mala tanta sequuntur,
 Et iunctus vitium ducit de coniuge coniunx.
 Quod superest thridaci iunges ramenta carinæ,
 Quod decem ex rebus confit simul atque vocatur,
 Mattichis addentur fractæ iam mollia farra.
 Talibus auxilijs præcordia tuta resident.

Ff ij

Q. SERENI
Lumbis & renibus sanandis.

Cum sœuit penitus hærens iniuria lumbis,
Igne lapis candens datur exultantibus vndis,
Hoc poteris potu tristem superare dolorem,
Aut pice cum melli nitrum sulphurq; & acetum
Succida lana rapit contacta calentibus iisdem,
Proderit hanc ægris crebro perducere membris.
Aut caput asparagi cum vino lume vetusto,
Seu mauiis appone, modus conducit vterq;
Aut adipi miltum lumbis inducito sulphur.
Sæpe chelidonium cum succo Palladis addes,
Farræq;, quæ tremulis profunt sudantia flammis.
Fertur amygdalinæ succus nucis esse bibendus:
Pinsitur, ac tepidis sorbebitur addida lymphis.
Aut tres ex vino cochleas feruescere coges.
Cumq; suis domibus franges, piperis quoque grana
Ter quinque adicias, potuq; iuuaberis illo.
Furfur item parca fuerit cum feruidus vnda,
Pōst oleo malidus succis immittitur aptis,
Quæ vix passiuris vrentes addito membris.
Prodest ceruinæ vehemens natura medullæ,
Nec nocuit ciceris cocti potasse liquorum:
Aut mistam teneris maluam contundito porris,
Contritumq; simul cum mastiche confer anethum,
Quodq; decem rebus componi ex nomine clarū est,
His contingere locum. Deus hæc mihi certa probauit.

Ventris dolori mitigando.

Si dolor insanus tota defœuit in aluo,
Heminis tribus in lymphatu decoque tritum,
In vino prius hyssopum, validam quoq; rutam,
Aut apium, donec pars duplex desit aquarum.
Potus erit medicus non detractante palato.
Præterea niuei sterilis tosta vritur ovi.

Quæ postquam in terram fuerit conuersa farinam,
 Ex calidis potatur aquis, & pota medetur.
 Nec non iungenda est vtero noua virga myricæ,
 Illæsa hæc ferro terraq; intacta teratur.
 Aut medio ventris prodest aspergere terram,
 Quam signauerunt vestigia pressa rotarum.
 Proderit & puluis facili sub cardine raptus.
 Quin etiam ex lymphis tritum potare cuminum
 Conueniet, quod iam nobis documenta probarunt.
 Mæta quoq; hoc pacto medicos dabit hausta sapes.
 Cœliacos autem recreabis pane salubri,
 Quem madido farre efficies, ac mollibus ouis:
 Quorum testa fero prius euanescere aceto
 Refert, & teretes bulbos mollire terendo,
 Cumq; his Lenæi durum potare fluentum.

Hydropisi depellendæ.

Corrupti iecoris vitio, vel splenis, acerbus
 Crescit hydrops, aut cū siccata febre medul
 Atq; auidæ fauces gelidū traxere liquorē, (læ
 Tum lymphæ interius vitio gliscente tumescit,
 Secernens miseram proprio de viscere pellem.
 Conueniet teneræ radix decocta sabuci
 In geminis calidi cyathis potanda Lyæi.
 Nec non & tepidis conuolues corpus arenis.
 Appositūq; lenes nepetæ, gustūq; iuuabunt.
 Helleboro quoque purgatur lymphaticus error.
 Aut huius vice quod fert semen lenta genista
 Miscetur, multis & cautis ducitur vndis.
 Sæpe & scyllino pelluntur noxia Baccho.
 Est qui præualidum frixo sale miscet acetum.
 Atq; olei succo refricant albertia membra.
 Fraxineum semen cū Bacchi rore bibendum est.
 Nec non apposito curantur dropace membra,
 Aut calido salicis radicem mollit Iaccho,

Q. SERENI

Qui subito raptos ventos, succosq; reuellit.
Vngvine quo frangit vires languoris aquosi.

Ventri molliendo.

Sæpe cibi specie, vitio vel corporeis ipso,
Potibus aut duris restricta morabitur aluus.
Vincetur talis mora gramine Mercuriali.
Cuius aquam cocti minimo cum melle bibemus.
Prunaq; conueniunt, quæ mittit clara Damascus.
Multos præterea medici componere succos
Assuerunt: pretiosa tamen cum veneris emptum
Falleris, frustra; immensa nomismata fundes.
Quin age, & in tenui certam cognosce salutem.
Aut igitur tectum lana supponis alumen,
Aut edis in patinis teneræ decocta sabuci,
Vel cum lacte capræ falsum multumq; capeffes.
Crede tamen potum meliorem lactis equini.
Dicitur hic validos asinæ peruincere succos.
Syluestris fici lacrymam prodesse loquuntur.
Quodq; satis melius verbis dicemus Horati
Mugilis, & viles pellent obstantia conchæ.
Sed cochleas prius est vrtica aut furfure pasci.
Purior hinc gustus noxa sine mouerit aluum.
Sæpe thalassomeli iunctum cumulauius hymbri,
Hæc purgant, parili fuerint si pondere mista.

Solutioni ventris, & dysenterix compescendæ.

TAm varii casus mortalia secla fatigant,
Vt sint diuersis obnoxia corpora morbis.
Sæpe etenim nimio cursu fluit impetus alui,
Frænat commisto cum feruet brassica vino.
Aut cerasi victum longo iam tempore pomum,
Succus aminæ vitis cum pane medetur,
Vel bene permistum calida potatur acetum.

Vile quidem, facile factu, tamen vide opinor.
 Si lædunt medica data purgatoria dextra,
 Adiecto piperis medicatur puluere calda.
 Sin autem longo decurrent intima fluxu,
 Atq; immane malum multo iam tempore gliscit,
 Torridus ex vino cortex potabitur oui.
 Ramentum niuei credunt prodesse elephantis.
 Arbore Pyramea cortex direpta coquetur
 Axe sub æthereo, sic nigro mista Lyæo
 Immensum poterit potu retinere, fluorem.
 Numinis aut iussu cedrum cum mastiche misces,
 Mollicamq; picem, & rasum de nauibus vnguen,
 Languida quo fidens medicamine membra fouebis.
 Proderit & pueris quos dentis origo fatigat,
 Castaneas coxisse nuces, & sorba vetusta,
 Atq; apium, caulesq; rebus quos fundit acuta,
 Potio quæ fluidam consumpta morabitur aluum.

Lumbricis & tinea purgandis.

Q Vid non aduersum miseris mortalibus addit
 Natura, interno cum viscere tinia serpens,
 Et lumbricus edax viuant inimica creantis
 Quod genus assiduo laniat præcordia morfu.
 Sæpe etiam scandens oppletis faucibus hæret,
 Obsessasq; vias vitæ concludit anhelæ.
 Ergo cinis cornu ceruini proderit haustus,
 Vel nepetæ tritum ex vino vel lacte capellæ,
 Nec non & succus medici potatur aceti,
 Prodest præterea cum Baccho persica frondis.
 Democritus memorat mentæ conducere potum.
 Sumitur abrotonum necnon & vile melanthum
 Allia per sese sanant, aut ius coriandri.
 Quin & marrubium decoctum haustumq; iuuabit,
 Pulegiumve potens, & agreste iugatur anethum,
 Synthesis hæc prodest vnda mollita calenti.

Ff iij

Colo sedando,

Cum colus inuisum morbi genus intima carpit
 Mandæ galeritā volucrē quā nomine dicunt,
 Aut pauidi leporis madefacta coagula pota.
 Siue apio nepetas tereti cum mastiche iunges,
 Nec non & species ambas redolentis anethi,
 Quarum decoctos patiens haurito liquores.

Vesicæ, & calculo purgando, vrinę prouocandæ,

Si cui vesicæ tardus cunctabitur humor,
 Hæc mora rumpetur vino peruisa vetusto,
 Prodest ex paruis acinos potare fabucis,
 Aut hederæ succum, aut lacrymosi trita sinapis.
 Nec non resinas ex oricia terebintho
 In speciem erulix paruos glomerabis in orbes,
 Quos ternos tepida mistos hausisse medela est.
 Quondam etiam nimio præceps vrina fluento
 Irrigat exuias, obscenoq; inficit hymbri:
 Ergo cinis cornu ceruini proderit haustus.
 Vel nepetæ ex vino tritum vel lacte capellæ.
 Tum leporis cerebrum ex vino potare docebit.
 Si dolor internam vesicæ concoquit aluum,
 Subueniet radix frondosæ epota cypressi,
 Pulegiumve potens domitum feruentibus vndis.
 Si verò in lapides densus conuertitur humor,
 Qui retinet cursus, genitumque dolore frequentat,
 Saxifragam seu fontigenam succurrere credunt.
 Præterea semen myrti syluestris Iaccho.
 Atq; oleo mistum bibitur, nec desit acetum,
 Vinaq; sumantur fricto condita cumino,
 Siue palumborum capitur finus acre ferorum
 Dulcacidis sparsum succis trituq; solutum,
 Necnon obscænus, capræ potabitur humor.
 Obruit hic morbum, calefactaq; saxa remittit.

Conceptioni, & Partui.

IRrita coniugij sterilis si munera languent.
 Et sobolis spes est, multos iam vana per annos,
 Fœmineo fiat vitio res, necne, silebo:
 Hoc poterit quartus magni monstrare Lucreti:
 Sed natura tamen medicamine victa potenti
 Sæpe dedit fœtus studio curante paratos.
 Aut igitur leporis consumit fœmina vuluam.
 Aut ouis in stabulis fractas cum ruminat herbas,
 Pendentem spumam molli deducit ab ore,
 Atque illam meminit misto potare falerno.
 Mercurialis item capitur communiter herba:
 Sic cubitum noctu coniunx festinet vterq;
 Atque vbi iam certum spondet prægnatio fœtum,
 Vt facili vigeat seruata puerpera partu,
 Dictamum bibitur, cochleæ manduntur edules,
 At qui olim menses minus octo moratus in aluo,
 Irrumpit thalamos, & nexus soluit inertes.
 Pulegij quoque purgati tunc conuenit humber.
 Cuius opem veram casus mihi sæpe probarunt.
 Quinetiam stercus supponunt vulturis atrî,
 Sentiat vt minimè partus quàm proximus vrget.
 Oua etiam rutæ & fragili miscentur anetho,
 Quæ diluta simul vino, atq; exhausta medentur.

Profluuiò cuiusq; sanguinis, & matrici subueniendæ.

SI modicus pleno manat de corpore sanguis,
 Subuenit: at nimius cum vita funditur ipsa.
 Quapropter multo naris completa cruore
 Cum fluit, attritus cimex conducit odore.
 Lana oleo madefit, sed nondum lauta rosato,
 Hæc datur in nares, vel claudet densius aures.
 Contritis prodest cochleis perducere frontem,
 Aut galli cerebro, vel sanguine tinge columbæ.
 Quod nisi supprimitur sanguis, potandus & ipse est.
 Præterea Phariis caput emetire papyris.

Q. S E R E N I

Detrahe quod superest, aliò genitalia nocte.
 Fœmineas prodest illinc vincere mamillas,
 Menstruus immenso si profluit impete sanguis.
 Succide lana malos remoratur subdita cursus,
 Mortua quinetiam producit corpora partu.
 Sed quacunq; fluit vis immoderata cruoris,
 Subereus cortex calidis potatur in vndis
 Antè minutatim studio vincente terendus.
 Pullegij calido purgatur fœmina potu.
 Sed si forte cruor clausa cunctabitur aluo,
 Aut molles neperæ, aut ruræ quæcunque bibentur,
 Aut si puniceos fundit vesica liquores,
 Marrubium ex passio tritum perfunditur vndis,
 Hi poterunt haustus rutilum purgare colorem.
 Reliquias partus eadem tibi detrahit herba.
 Quòd si fœminei properabit sanguinis humber,
 Est qui frustra molæ percussu decuti vno,
 Quorum aliquot lanis tectum ad præcordia nectis,
 Hæc simul incantans fisti debere cruorem,
 vt lapis ille viæ solitos iam destitit orbes.

Inter necandis, quæ oculos impediunt

Mobilis hirsutas horret lasciuiæ setas,
 Et gaudet rapto nudari flore pilorū (tur,
 Sed bona nonnunquā vellēdi causā uide-
 Corpora cum releuat, ratio manifesta salutis.
 Namq; oculos infesta pilorum tela laceßunt,
 Quodq; illis dederat vallum natura tuendis,
 Inde inimica sēges proprios defæuit in orbes.
 Ergo locum crinis vulsi continge cruore,
 Quem dat auis, tremulis simulat quæ pellibus alas.
 Præterea quascunque voles auertere setas,
 Atque in perpetuum rediuiua occludere tela,
 Corporibus vulsis saniem perducito ranæ,
 Sed quæ parua situ est, & rauco garrula questu.

Necnon quæ stagnis cessantibus hæsit hirudo
Sumitur, & viuens samia torretur in olla,
Hæc acidis iungit permista liquoribus artus,
Anulsamq; vetat rursus percreescere sylum.

Omnibus obsecenis medendis.

D Icédū, & quæ sit mēbris medicina pudēdis
Languidus antiquo purgatur penis Iaccho;
Ac super illinitur fœcundæ felle capellæ.
Mane nouo myrti frondes commandere prodest.
Cui dolet, atque illas in vulnus despuat ipsum.
Fece etiam vini genitalia lauta leuantur,
Et tumidos testes nereia lympa coerces,
Vel bulbi ex mulso, vel cæra immista cupresso.
Aur faba cum tepidis Bacchi decocta fluentis.
Ramicis immensum fertur cohibere tumorem
Far madidum lympa, & ferali fronde cupressi,
Vnde etiam potu frons hæc memoratur amica.
Sin autem existit durum tibi glandibus inguen,
Proderit induci cochleas cum melle minutas.
Obscenos si pone locos noua vulnera carpent,
Horrentum mansa curantur fronde ruborum.
At si iam veteri succedit fistula morbo,
Mustelæ cinere immissio purgabitur vulcus,
Sanguine seu ricini quem hos gestauerit antè.
Herba chelidoniæ fertur cum melle mederi,
Herbaq; cum seuo foliis de mille vocata.

Ischiæ, & articulari morbo.

Sæpius occultus victa coxendice morbus
Perfurit, & gressus diro languore moratur,
Populus alba dabit medicos de cortice potus,
Necnon & teneræ gracili de fronde genistæ.
Arreptos caules, acidioq; liquore madentes

Q. SERENITAS

Sumere conueniet, rubiam quoque ducere potu,
 Aut in aminæo cochleas haurire Lyæo.
 Si verò articulos tabes inimica per omnes
 Hæserit, ex ficu betas ac melle ligabis,
 Vel pelagilatices simul & baccheia dona
 Sumere curabis, nimio sed parcito vino.
 Ennius ipse pater dum pocula ficcet iniqua,
 Hoc vitio tales fertur meruisse dolores.

Furunculo medendo.

CUm sanguis nimius puri commistus atroci
 Æstuat, & papulas altè sustollit acutas,
 Resinam mîsces, & saxis ordea fracta.
 Consersa hæc tepidis apponere conuenit vndis.
 Vis & hyoscyamum cæræ seuoq; iugatim
 Ne ctere, non minus hæc poterit medicina iuuare.
 Prætereaq; finum ex gallo quod legeris albo.
 Hymbribus ex acidis hidens appone dolenti.
 Auribus aut pecudum molles expromito sordes,
 Vnguine quo fotis dabitur medicina papillis.

Carboni medendo.

Horrendus magis est, pimit q; corpora, carbo
 Vrit hic inclusus, vitælia rumpit acerbus:
 Hûc veteres quodâ variis pepulere medelis
 Tertia nanque Titi simul & centesima Liui
 Charta docet ferro talem candente dolorem
 Exectum, aut poto raporum semine pulsum:
 Infecti dicens vix septem posse diebus
 Vitam produci: tanta est violentia morbi.
 Dulcacidum laticemq; cumini semine iunges,
 Atque finum pariter Paphiæ compone columbæ.
 Hinc line diruptas partes, & clausa venena,
 Præterea triti reserant & operta lupini.

Nonnullus calcem viuam dissoluit aceto,
 Fumantemq; niuem papulis apponit acerbis.
 Est qui gallinæ perducit stercore corpus.
 Allia vel piperi parce commista linuntur
 Pythagoræ cognata leui condita cumino.
 Proderit & madida fermentum polline turgens.

Pani, vomicæ, & strumæ depellendis.

Sunt alii quos dura mouet natura tumores
 Non minus horrendi, sed non ita perniciosi.
 Vomica qualis erit, vel eidem proxima quædã
 Simplicem resina miscebimus hordea tusa,
 Et mulsos amnes, & purgamenta columbæ,
 His bene decoctis languentia membra fouentur,
 Mollis odorato fabia iungatur coriandro.
 Proderit appositum, molliorque aperitque tumorem.
 Aut de phasgano radix decocta palustri,
 Quæ salis admisto tundetur condimento.
 Proderit & mansum quod traxeris arbore viscum.
 Gramen hyoscyami cæræ seuoque vetusto
 Concilia, mistisque locos perduce dolentes.
 Exereere etiam corpus medicina potens est.
 Ouum defundes in fictile, deinde putamen
 Marrubij succo implebis, post melle liquenti
 Omnia consociata petenti prospera potu
 Sumuntur, referantque malû purgantque leuantque.

Igni sacro demouendo.

Est etiam morbi species, quæ dicitur ignis,
 Languida quo multo torretur mēbra calore,
 Vel tu vicino seuum bouis igne remittis,
 Mollitumq; lines, vel oloris fecibus oua,
 Sed non cocta dabis, sic torrida membra fouebis.
 Lumbricus terræ misto inducetur aceto,

Aut parili noua ruta modo, sed iungis oliuum,
 Ouaque cum betis profunt saepe illita tritis,
 Allia dant cinerem fociato oleoque garoque,
 Vngvine quo gliscens deponet flamma furorem.
 Sæpe chelidonix pars candida iungitur oui.
 Quæ modico potu sed vili trita capeffes,
 Admiscere memor lymphas amnemque falerni.

Podagræ depellendæ.

Quædã sunt rabidæ medicamina digna podæ
 Cui ter tricenæ spēs Epidaurius ipse (græ,
 Dixit inesse deus, requiẽ tñ indere morbo
 Fas erit, & tristem saltem mulcere dolorem.
 Ergo age & arreptũ salicis frondemque librumque
 Cum vino tere, sic contractos perline neruos.
 Aut cum prima mali sese ostentabit origo,
 Feruida non timidis tolera cauteria plantis,
 Seminecisve hirci referato pectore calces.
 Infere, sic diræ reprimes primordia pestis.
 Aut si corruptus perfederit altius humor,
 Trita cupressus ibi Baccho iungetur acerbo
 Panibus & teneris, cohibebitque addita questus
 Parua sabucus item hircino collita seuo,
 Triticæque acido manantes amne farinæ,
 Aut nitidum ranæ decoctum viscus oliuo
 Siue chelidonix succus sale mistus aceto.
 Sunt quibus apposita siccatur hirundine sanguis.
 Non audita mihi, sit fas, sed lecta referre,
 Hoc quidam raptus morbo per tempora messis
 Vicino plantas frumenti pressit aceruo.
 Euasitque grauem casu medicante dolorem.

Vulneribus ferro, aut verberibus factis.

Natura vitii medicas obieci mus artes,
 Nunc & fortunæ iaculis obistere par est.
 Si cui forte lapis teneros violauerit artus,
 Necte adipēs vetulos & tritam chamæcison,
 Ne pudeat luteæ stercoſ perducere porcæ.
 Sin autem sæuo laceratum est verberē corpus,
 Tum lixiua cinis cæras diſſoluit & oua,
 Admiſtoque oleo vibices comprimit atras.
 Si uerò infrænus manat de vulnere ſanguis,
 Purpura torretur conchyli perlita fuco,
 Huius & atra cinis currentem detinet vnam.
 Verrucæ quoque deſectæ frænare cruorem
 Dicitur ambuſtus tyrio de vellere puluis:
 Præterea nimios reſerati vulneris annes
 Peniculi cinis aſtringit vel ſimbria porri:
 Siue ſimus manni cum teſtis vritur oui,
 Et reprimiſt fluidos miro medicamine curſus.

Vulneribus quibuſcunque caſibus factis.

TAm varia humanæ ſunt vulnera cōditionis,
 Vt nequeant proprias cūctis aſcribere curas,
 Iiſdem igitur monitiſ caſus arābimus omnes
 Sic tamen vt nullus medicinam clauſerit error.
 Ergo modus quicunque obtingit vulneris atri,
 Contritus cum melle dabit medicamina bulbus:
 Herbaque quæ foliis nomen de mille recepit,
 Appoſitu prodeſt adipi permixta vetuſto.
 Succida cum tepido neſtetur lana Lyæo.
 Ambuſtæve cinis complebit vulneris ora.
 Concludit verò vel frons vel ramus ab vlmo,
 At ſuccis hederæ pulchreſcit fœda cicatrix.

Hominis ac Simiæ morſui.

Q. SERENI

Sive homo, seu similis turpissima bestia nobis
Vulnera dente dedit, virus simul intulit atrum,
Betonicam ex duro prodest assumere Baccho.
Necnon & raphani cortex decocta medetur,
Si trita admorsis fuerit circumlita membris.

Serpentium moribus, & viperinis excludendis.

Cuspide nō quisquā longe neq; cæde carisse,
Fulmine nō gladii, volueris nec felle sagitta,
Quam cito vipereo potis est affligier istu.
Quare aptam dicamus opem, succosque medentes.
Quem nocuit serpens, fertur caput illius apte
Vulneribus iungi, sanat quem sauciat ipsa:
Vtque Larissæa curatus Telephus hasta.
Proderit & caulem cum vino haurire sabuci,
Aut coctum raphani librum tritumque ligare,
Sive etiam excelsa folium de mole cupressi,
Aut tithymallus atrox vulnus contrita perungit.
Carduus est nondum doctis fullonibus aptus,
Ex illo radix tepido potatur in amni.
Cervino ex fœtu commista coagula vino,
Sumuntur, quæ res membris agit atra venena.
Aut ferulæ radix potatur in hymbre Lyæi
Betonicæ leues, gallinæ aut iura vetustæ.
Si verò horrendum vulnus fera fecerit aspis,
Vrinam credunt propriam conducere potu,
Varronis fuit ista senis sententia: necnon
(Plinius vt memorat) sumpti iuuat hymbes aceri
Dicendum, & quæ sit præcox medicina timenti,
Cautio: nanque potest diros prævertere morsus,
Si iecur exectum tardo de vulture portes.
Erucis aut si totos perduxeris artus,
Quas prius attritas vehementi spargis aceto.
Aut tu ceruina per noctem in pelle quiesces,
Aut genere ex ipso dentem portabis amicum.

Toxica

Toxica præterea qua sint pellenda medela,
 Expediam: sanguis poterit prodesse caninus,
 Qui facili potu antidotos imitatur honestas.
 Vis & mirificos cautus prædiscere odores,
 Accensis quibus arcetur teterrima serpens,
 Aut styracem torres, aut diri vulturis alam,
 Vel nepetā, aut frondem rigidæ stirpemq; myricæ.

Ictibus Scorpii, & Morsibus Mu-
 ris cæci, vel Aranei.

Sunt minimæ species, sed diræ vulnere pestes,
 Quæ magis in tenui latitantes corpore fallant,
 Scorpheus ut grauis est & araneus, hæc mala sæp
 Captant securos multa iam nocte sopores,
 Et documenta dedit nobis prostratus Orion,
 Magna quod exiguis perimantur sæpe venenis.
 Et quum vulnus atrox incussit scorpheus ardens,
 Continuo capitur, tunc digna cæde retusus,
 Vulneribusque aptus, fertur reuocare venenum.
 Aut calidis pelagi lymphis loca læsa fouentur,
 Siue meri potu dissoluitur improba peltis.
 Ad cunctos autem morsus ictusque minorum
 Caseus aptus erit simæ delacte capellæ,
 Cumque hoc absumi debet origanus herba:
 Hæc duo mirificis curabunt icta medelis.
 Necnon peniculo calidum annectetur acetum,
 Aut viuum sulphur sicci cum fece Lyxi.
 Exiguo piperis cerebrum conspergito galli,
 Quo lixa sanescunt depulso membra dolore.
 Sin autem muris nocuit violentia cæci,
 Quæ sola signauit voluendis orbita plaustris,
 Illine, mira datur vili de puluere cura.

Subitaneo dolori, febri atque ostocopo.

Gg

114 Q. SERENI 115
Nonnūquā existit subiti noua causa doloris
Cuius origo latet, veris reprimēda medelis.
Nanq; chelidoniā misto sale necdere prodest
Velleraque infuso recalentia sulphure sanant.
Ostocopon lento conducit melle perungi.
Sic autem calida depascent corpora febres,
Tunc apij succus leni sociatur oliuo.
Membra lines, fotuque ferus mulcebitur ignis.
Nec spernendus adeps, dederit quem bestia melis.
Seminecis cerui lacrymam miscere liquori
Conuenit, atq; artus illinc mulcere calentes:
Sic lacerat morbum, bilemque reuoluit in aluum.
Præterea chymum stomacho desiccet iniquum,
Quæ magis atque magis promittunt corpora claudi.
Febribus aut longis galli noua iura vetusti
Subueniunt, etiā tremulis medicantia membris.

Quartanæ typo medicando.

Nec tu credo leuem dilato tempore febrem,
Quæ spatiū sibi dat, magis vt cessando cale-
Letali quæ grassatur quartana calore, (scat.)
Ni medicas adhibere manus curemus & herbas.
Allia non pudeat terno cum cimice trita,
Et diluta mero mediis haurire diebus.
Aut facilem iecoris murini ducere fibram,
Quattuor vt duri iungantur scrupulla Bacchi.
Mira est absinti cum simplice potio lympa.
Sume tribus digitis apprensū semen anethi,
Tantundem marathri, mulsū nec desit aceti,
In cuius cyatho prædicta salubriter hauris.
Mæoniæ Iliados quartum suppone timentī.
Aut leporis trepidi diluta coagula trade.
Prodest & potus, sed mulsus doridis humor.
Quidem etiā miranda ferunt veniente calore,
Iurantes ludum Veneris munusque petendum.

Sed prius est oleo partus feruescere ranæ,
In triuiis, illoque artus perducere succo.

Tertianæ typo medicando.

Est etiam alternis febris rediuiua diebus,
Tempora discernēs quasi iustę pondera librę.
Vt possis igitur talem prohibere furorem,
Inuolues cærā pallentis grana cumini,
Puniceæque indes pelli, colloque ligabis.
Pulegi ramus lænæ velatus amictu
Tempore suspecto medicos præbebit odores.
Præterea tricus cimex potatur in ouo
Horridus attractu, sed gustu commodus apto.

Quotidianæ typo medicando.

At qui continuus non cessat adire diebus,
Sed tantū certas morbus discriminat horas,
Triticeū metuit granū (si credere dignū est)
Quod latitans fracto fuerit sub pane repertum,
Nec non ossa iuuant septis inuenta domorum.
Conuenit hæc reret pendencia subdere collo.
Multaque præterea verborum monstra silebo:
Nam febrem vario depelli carnine posse
Vana superstitio credit, tremulæq; parentes.

Hemitritæo depellendo.

Mortiferum magis est, quod Græcis hemi-
tritæum
Vulgatur verbis, hoc nostra dicere lingua
Non potuere vlli, puto nec voluere parentes,
Inscribis chartæ, quod dicitur Abracadabra,
Sæpius, & subter repetis, sed detrahe summam,
Et magis atq; magis desint elementa figuris

Gg ij

Q. S E R E N I

Singula, quæ semper rapies, & cætera figes,
 Donec in angustum redigatur litera conum.
 His lino nexis collum redimire memento.
 Nonnulli memorant adipem prodesse leonis.
 Corallium atque crocum corio connectito felis,
 Corallium verò si collonectere velles,
 Nec dubites illis virides miscere smaragdos.
 Talia languenti conducent vincula collo,
 Letalesq; abigent (miranda potentia) morbos.

Fracturis, & luxis sanandis.

INfandum dictu cunctis procul absit amicis,
 Sed Fortuna potens omen conuertat in hostes.
 Vis indigna nouo si sparserit ossa fragore,
 Conueniet cerebrum Islandi canis addere fractis,
 Lintea deinde superq; inductasnectere lanas.
 Sæpius vt succos conspergere pinguis oliui,
 Bis septem credunt coalescere cuncta diebus.
 Aut veteri Baccho capræ fimus inde petulcæ,
 Hoc aperit clausum, trahit hærens, sanat apertum.
 Si verò caput infestus colliserit ictus,
 Ex oleo necti vestis debebit arachnes,
 Nesciet hæc illinc (nisi cum sanarit) abire.
 Quòd si luxa suo decedunt membra tenore,
 Vtere fœmineos crines, ac iungere seuum
 Congruet, ac tali medicamine mota ligare.
 Aut malum ex pingui tritum apposuisse iuuabit.
 Aut si conclusum seruauit tibia vulnus,
 Stercus ouis placidæ iunges adipēsque uetustos
 Pandere quæ poterunt vlcus, patuloque mederi.

Neruis incisis, & dolentibus, atque contractis.

HAud quisq; credet dissectos vulnere neruos.
 Ad solitum rursus reuocari posse vigorem,

Sed prodest terræ lumbricos indere tritos,
 Quis vetus & ranæ sociari axungia debet.
 Si verò oecultus neruq; dolor vrit inertes,
 Vulturis excisos adipēs rutamque remitte.
 Aut ceram, & tali recreabis languida fotu.
 Conuenit & pelagi calidis perfundier vndis.
 Carica, vel betis lento cum melle iugatur.
 Aut Baccho madefacta Ceres cum fronde cupressi.
 Quo poteris potu recreare rigentia membra.
 Sin autem subito replicantur corpora morbo,
 Contractos reuocat neruos caro sumpta columbæ.

Ægris somno adfiscendo.

Non solum miseros teterrima febris adurit,
 Sed super optato pergit viduare sopore,
 Ne prosint placidi cœlestia munera somni.
 Charta igitur, variis quam pinxit litera Verbis,
 Vritur, inde cinis calido potatur in amni.
 Proderit, & magnum capiti substernere fulcrum,
 Prodest & mistam lymphis potare cupressum,
 Palladiis iridem succis, quos flore rosarum
 Iungis, & immisces madidum tritumque papauer.
 Quo lita frons facilem præbebit nocte quietem.
 Necnon mandragoræ gustu sopor additur altus.
 Diluc præterea glomeramina, quæ gerit intus
 Clausa aries inter geminæ coxendicis umbras,
 Inde soporati ducentur gutture potus.

Lethargiæ expellendæ.

Diximus hanc sortē miseris mortalibus esse,
 Ut sint sæpe mala inter se contraria morbi.
 Deniq; nonnunquā somno sic mēbra grauā
 Ut coniungatur leto sopor altus acerbo. (tur,
 Ergo leui flamma torrentur cornua capræ,

Quo nidore grauem depellent lumina somnum.
 Aut veneris labrum quæ dicitur herba, bibetur.
 Quæ teritur prius, & vino confusa liquefcit.
 Conueniunt acidis euphorbia mixta fluentis,
 Gramina vel rutæ gemina finare trahantur.
 Quidam dira iubent, septeno cimice trito,
 Vt viciantur aquæ, cyathusq; bibatur earum.
 Hæc potiora putant, quàm dulci morte perire.

Comitali morbo.

Est subiti species morbi, cui nomen ab illo est.
 Quod fieri nobis suffragia iusta recusant.
 Sæpe etenim membris atro languore caducis
 Consilium populi labes horrenda diremit.
 Ipse deus memorat dubiæ per tempora lunæ
 Conceptum, talis quem sæpe ruina profudit.
 Prodest cum veteri Baccho fel vulturis ampli,
 Sed cochlear plenum gustu tibi sufficit vno.
 Aut æruor ex progne mixtus cum polline thuris,
 Aut apium elixum, aut conditum melle fel agni,
 Marrubiumve pari confusum pondere mellis,
 Cui tu terna dabis gustu cochlearia in vno.
 Apium mustela cinis & hirundinis vna.
 Præterea pluuias hominis quas calua supina,
 Excepit proiecta sinu, consumere prodest,
 Aut lapis ex nido, vaga quem congefist hirundo,
 Vellitur, & nexu fouet attolitq; iacentem.
 Pellitur (vt fama est) gustu quoq; languor anethi.

Regio morbo pellendo.

Regius est vero signatus nomine morbus,
 Molliter hic quoniam celsa curatur in aula.
 Huic rubia ex mullâ fertur cōducere lymphæ.
 Allia trita dabis vino madefacta calenti.

Vellera cum viuo suffiri sulphure prodest.

Infantibus dementibus, vel strige inquietatis.

N Vdū hominē primū mater natura profudit.
 Insūper excruciat, niueis cū dentibus armat.
 Collo igitur molli dentes nectentur equini,
 Qui primi fuerint pullo crescente caduci.
 Aut teneris cerebrum gingiuis illine porci.
 Aut leporis niueum bibitur cum lacte caprino.
 Præterea si forte premit strix atra puellōs
 Virosa immulgens exertis hubera labris,
 Allia præcepit Titini sententia necti,
 Qui veteri claras expressit more togatas.

Combusturis igne, vel frigore.

S Vnt diuersa quidem mala frigoris atq; caloris,
 Sed tamen amborum simili nocet vlcere virus.
 Illa quoq; vsta putes, quæ sunt niue læsa rigente,
 Conuersa in cinerem platani pila curat vtrunque.
 At verò ambustum flammis qui candidus oui,
 Succus inest, penna inductus sanare valebit.
 Aut tu succosæ cinerem perducito lanæ,
 Aut viuam ex oleo veteri composito calcem,
 Ordea vel franges atq; oui candida iunges,
 Adsit adeps porcæ (mira est hæc forma medelæ)
 Iunge chelidoniis, ac sic line vulnera, succis.
 Quodq; recens vssit glacies exungia simplex
 Mulcet, & ex facili grata est medicamine cura.

Venenis prohibendis.

V T tutus fias infestæ fraude nouercæ,
 Vel quicunq; tuo carpetur liuidus æstu,
 Non expectatis eat obuia cura venenis,

Gg iiij

Q. SERENI

Ante cibos igitur iuglandis fœtus edatur.
 Produnt electri rorantia pocula virus.
 Præterea coctæ querno cum cortice lymphæ
 Conueniunt potu, diuersæ ficus oliuo.
 Sæpe etiam raphanum prædixit numen edendum,
 Antidotus verò multis mithridatica fertur,
 Confociata modis, sed Magnus serinia regis
 Cum raperet victor, vilem deprendit in illis
 Synthetin, & vulgata satis medicamina risit.
 Bis demum rutæ folium, salis & breue granum,
 Iuglandesq; duas, toridem cum corpore ficus,
 Hæc oriente die parco conspersa Lyxo,
 Sumebat metuens, dederat quæ pocula mater.

Venenis datis.

SI nequit infandum præuerrere cautio virus,
 Proximus ille gradus data pocula pellere cura.
 Lac asinæ placidæq; bouis prodesse loquitur,
 Betonicam ex paruo sumunt pleriq; Lyxo.
 Quod si hederæ succos, quæ truncos implicat altos,
 Instilles pateris, poterunt haud vlla nocere
 Pocula, quæ quisquam sæuis vitiauerit herbis.
 Si quis hyoscyamum gustarit, lacte capellæ
 Exhausto, rabidos poterit mulcere furores.

Vulneribus ex re dubia curandis.

Vulnera tabescunt spatio viciata dierum,
 Curaq; nil prodest, nec ducitur vlla cicatrix.
 Sed tamē herbarū tam mira potentia pollet,
 Vlceris annosi sinus vt coalescere possit,
 Marrubium si tu recoquas, illoq; liquore
 Vulnus atrox foueas, cineres vel hirundinis alitæ
 Inducas, leporisve aspersa coagula vino,
 Aut hederam Baccho decoctam, & semen anethi.

Aut cineres alui tardo cum melle ligentur.
 Lumbrici terræ poterunt conducere vulnus,
 Aut facilis lapathi, cumulatio vulnera purgat,
 Et commistus adeps, sed nonnullo sale tactus.
 Pineæ præterea vino cum sulphure cortex,
 Et pice cum spissa iam perdita membra reponit.
 Verrucis tollendis.

Interdum existit turpi verruca papilla,
 Hinc quondam Fabio verum cognomé adhæsit.
 Qui solus patriæ cunctando restituit rem.
 Id poterit vitium sanguis curare lacertæ,
 Aut vrina canis cum terra inducta madenti.
 Aut herbæ succus, quæ fertur nomine lathyr,
 Et rithymallus item tali satis apta medelæ.
 Si rupta immensos fundit verruca cruores,
 Purpureo tritici cineres de vellere profunt,
 Quod fuerit vero conchyli sanguine tinctum.
 Hæmorrhoidibus medendis.

Excruciant turpes anum si forte papillæ,
 Agrestis prodest radix superadita porri.
 Næ violet, sanat iugulandis fragmine clausa.
 Sal niueum sumes, beticum quod nomine dicunt.
 Dulcia cumq; nigra iunges fuligine mella.
 Apponesq; super, pellit medicina dolorem.

Quæ sequuntur, ex Aldino codice huc transferre
 libuit: et si videantur non esse Sereni.

PARALYSI DEPELLENDÆ.
 Prima die ita agendum.

Huc quicumq; cupis citius depellere morbum,
 Protinus antidotum studio tu perface mirum.
 Scilicet ut veles languenti ferre medelam.

Castoreas filiquas bis sex perquirere cura;
Tristis item digitis lympham metire duobus:
Deniq; tunc capies phialam quæ iustior extat,
Aut equidem flammâs: sed prunas subiice solers.
Proderit interea tepidum potantibus illud.
Ieiunis sed enim potius præbere memento.

Secunda ita medendum est.

Cumq; secunda dies orbi peruenerit omni
Haud alijs rebus prudens adiungere cures.
Castoris atq; nomē filiquas appēdico statim;
Atq; duos semis digitos metire memento
In calice atque probo lympham miscere duobus:
Qui patitur tepidum languens hinc forbeat ipse.

Tertia die ita curandum est.

Gratior atq; dies ternus cum venerit imo;
Rursus in ægroto constanter fer medicamē,
Castoreas filiquas iterū quæ pondere sint sex:
Hinc etenim binos digitos metire memento
De lymphâ liquida: sed enim subiungere cura
Et simili debes tepidum præbere modo tunc.

Ita peragendum est à quarta die vsque ad sextam,
& à septima vsque ad nonam, à decima vsque ad duo-
decimam, & mirifice prodest.

Quid quarta die, & reliquis peragendum sit.

Quartus & ille dies consentit: nec ne priori
Quintus & est similis pcellens nāq; secūdo:
Sextus itemq; simul concordat deniq; terno
Septimus vsq; nonum percurritur ordine primo:
Sic decimas currens conscenditur ad duodenum.

F I N I S .